

fuerit ad professionem inefficax, utpote datus illi, qui sine proprio consensu, consequenter nulliter est professus.

223. *Papa supplet etiam consensum religionis.* — Accedit, quod etsi dato, non concesso, consensus superioris in casibus conclusionis non amplius perseveraret, consequenter nullus haberetur superiorum consensus, tamen ratificatio sine novo consensu et acceptatione illorum valida foret; quia Papa utpote supremus praelatus omnium ordinum potest talem consensum supplere, et actu supplere censetur, hoc ipso, quod omnem professionem irritam etiam absque novo consensu et acceptatione superiorum, sufficienter et valide ratificare posse, dicat, et declaret juxta dicta n. 219. et seqq. Et ob hæc fundamenta, sententia nostra sane videtur etiam probabilior, et in conscientia omnino tuta, quamvis contraria sit tutior.

224. *Doctrina practica pro ratificantibus professionem.* — Infertur, etiam in casibus conclusionis posse nulliter professum, professionem suam modo n. 218. dicto ratificare: quamvis tutius faciat, si rem indicet superiori, ab eoque novum consensum petat; nisi forsitan timeat, superiores casu audito, revocatos prius datum, et negaturos novum consensum, consequenter eum in periculo ejectionis esse: talibus enim in circumstantiis melius erit, si nihil dicat, vel antequam dicat prius ipse vel solus, vel (quod securius adhuc est) in præsentia duorum fidelium ratificet, factaque ratificatione, primum pro majori securitate novum consensum et acceptationem sollicitet; tunc enim in utroque foro erit securus; etsi consensus novus negetur, eo quod juxta dicta de stylo curiæ non requiratur.

225. Illud etiam cum unanimi notandum, in ratificatione professionis nullatenus necessarium esse, ut consuetæ repetantur cæremonia: tum quia non sunt de substantia: tum quia plerumque absque nota reiterari nequeunt. Quod si tamen cum præscitu et novo consensu superioris professio ratificetur, bonum erit si superior duos saltem testes adhibeat ad probandum contra profitentem, casu quo aliquando contra professionem vellet reclamare. Pariter juxta communem non est necesse, ut fiat repetitio novitiatus, Pelliz. tom. I, tract. III, cap. v, q. 20; Sanchez, loc. cit. a. n. 25. Ratio est, quia novitiatus ex hac sola ratione requiritur, ut novitiatus religionem, et hæc novitiatus

probet, c. *Ad apostolicam.* 16. h. t. atqui hoc fieri et factum jam censetur in casu, quo professio rite finito probationis anno, ex aliqua causa fuit nulla; ergo.

§ VIII.

DE POTESTATE EJICIENDI RELIGIOSOS PROFESSOS, UBI ETIAM DE IPSIS EJECTIS: ITEM DE FUGITIVIS, ET APOSTATIS, EORUMQUE OBLIGATIONE.

226. *Legitima de causa possunt religiosi professi ejici. Qui aliis scandalo sunt, separari debent.* — Quæritur I. An, et ob quas causas, quando, et quinam religiosi jam professi ex ordine ejici possint? Resp. I. Certum est, posse religiosos etiam professos legitima de causa ex ordine expelli. Ita hodie unanimis contra quosdam antiquos citatos a Miranda, tom. I. q. 52. a. 4. Patetque clare ex jure antiquo, et novo, ut can. *Resecandæ.* 16. cau. 24. q. 3. ibi: « Resecandæ sunt putridæ carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. » Concordat can. *Illud sane.* 34. ead. cau. et q. ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, « ut his, quibus prodesse non potuit correctio, non parcat abscissio. Oportet enim nos Evangelici meminisse mandati, quo ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur, etc. » et infra: « Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcat; » et c. fin. *de Statu monach.* dicitur: « Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves. » Concordat c. *Relatum.* 7. *Ne cleric. vel monachi.* ibi: Vel si restiterint ausu temerario eis ejectis, etc. Confirmatur conclusio ex multiplicibus privilegiis religionum, et repetitis declarationibus cardinalium. Ratio jam est insinuata; cui accedit, quod bonum commune religionis præponi debeat bono privato ejecti.

227. *Hodie non nisi incorrigibilis ejici potest. Et quis sit incorrigibilis?* — Resp. II. Quamvis olim ob varias causas ab ordine expelli potuerit professus, quarum aliquas allegat, et adhuc subsistere, minus recte supponere vi-

detur Pirhing, h. t. n. 195. tamen hodie nullus ejici potest, nisi sit vere incorrigibilis, adeoque hodie nulla alia, quam incorrigibilitas sufficiens et legitima causa est valide professum ejiciendi. Caret hodie controversa ob novum decretum sacre Congregationis cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, jussu Urbani VIII. emanatum 21 septembris 1624, quod incipit: *sacra congregatio*, et reperitur in tom. IV. *Bullar. Cherub.* constit. 28. dicti Pontificis ubi § 6. ita statuitur: « Ut in posterum a religionibus nullus legitime professus ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis (subjungitur ibidem) minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, et constitutionibus cujuscunque religionis, et ordinis etiam a Sede apostolica approbatis et confirmatis: verum etiam unius anni spatio in jejuniis et patientia probetur in carceribus; proinde religio habeat privatos carceres in qualibet saltem provincia. »

228. *De jure communi incorrigibilis ad præsens non est; nisi quis committat crimen grave.* — Ut autem de jure communi quis dicatur incorrigibilis in ordine ad ejectionem, ordinariè plura requiruntur. Et quidem I. Ut delictum sit grave. Omnes. Ratio patet, quia pœna debet esse proportionata culpæ vel delicto, arg. c. fin. *de Statu monach.* atqui ejectio est gravis pœna, ergo etiam delictum, ob quod infligitur, debet esse grave, v. g. homicidium, perjurium, furtum, arg. c. *Cum non ab homine.* 14. *de Sentent. excomm.* Proprietas, c. *Cum ad monasterium, de Statu monach.* et alia similia, præsertim illa, ob quæ leges et statuta imponunt pœnas mortis naturalis aut civilis, perpetui carceris, aut triumremium, ut declaravit Pius V. apud Hyacinth. Donatum, tom. I. tract. VIII, q. 6; Clarus, in *Practic. crimin.* § 1. n. 9; Portel. in *Dubiis regular.* §. *Ejicere ab Ordine* in *Addit.* n. 1. Hyacinth. Donatus, loc. cit. et alii communiter, qui etiam notant, quod an grave sit crimen, necne, debeat sæpe relinqui arbitrio judicium.

229. *Publicum tam patribus quam sæcularibus.* — II. Requiritur, ut delictum sit publicum, non solum inter fratres, sed etiam sæculares, ita ut sine infamiæ nota retineri in ordine facile non possit. Divus Bonaventura in *quest. super Regula fract. minor.* q. 14; Portell., loc. cit. n. 1. et seqq.; Miranda,

t. I., q. 52, a. 2; Pirhing, h. t. n. 195; Roderiquez, tom. I. q. 30, a. 14. et seqq.; Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. ix, n. 4, et 5. Rationem dat divus Bonaventura, « ut evitetur scandalum, et ne, si ejiciatur ob occulta delicta, videatur injuste ejectus, aut ejus peccatum propaleatur injuste quod utrumque illicitum est. » Hinc præstat, ut communiter delictum ejectione dignum, occultum tamen, perpetuo incarcerationetur potius, quam ejiciatur, saltem si timetur, ne sua præsentia alios inficiat, per jura n. 226. citata.

230. *Et prius ter sit correctus; vel condonatum crimen.* — III. Requiritur, quod prius ter fuerit correctus, admonitus, et punitus, ut bene probat Hyacinth. Donatus, loc. cit. q. 10 arg. c. *Contingit.* il. 2. *de Sentent. excomm.* et c. *Cum non ab homine. de Judiciis.* Idem docet Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. ix. n. 4; Pirhing, loc. cit.: Pelliz. tom. II, tract. VIII, cap. viii. n. 2; Portell. in *Dub. regular.* §. *Ejicere.* n. 1. verb. 2, nota cum communi. Rationem dat Portel. quia alias ad præsens vere non diceretur incorrigibilis, cum incorrigibilitas et pertinacia consistat in resistentia post distinctas objurgationes; nec ex una sola resistentia satis colligi possit incorrigibilitas, utpote quæ ex nomine non denotat unum crimen, nec continuationem criminum, sed dicit respectum ad correctionem, vel punitionem ter contemptam. Accedit, quod ejectio æquiparetur privationi beneficii ob delicta, cum religio in suo sensu sit etiam professorum beneficium, ad cujus titulum ordinantur; atqui clericus ob delictum ab homine privari non potest beneficio, nisi bis aut ter admonitus, arg. c. *Ex tua.* 11. et ibi Glossa *de Cleric. non resident.* ergo. Notat autem Peyr. apud Dona., loc. cit. dici incorrigibilem non tantum illum, qui ter fuit convictus, correctus et punitus, sed etiam cui crimina toties fuere remissa, condonata, aut dissimulata spe emendationis. Nec refert, an delicta repetantur eadem, vel committantur alia æque gravia vel graviora. Sanchez, loc. cit. n. 4. Abbas, in c. *Cum non ab homine. de Jud.* et alii, arg. c. *Ut famæ de sentent. Excomm.* ibi: « Ad similia, vel pejora. »

231. *Atque per annum fuerit incarcerationatus in pane et aqua.* — IV. Ex novissimo decreto Urbani VIII. supra n. 227. citato, necesse est, ut prius « unius anni spatio in jejuniis et pœnitentia probetur in carceribus, » sunt formalia decreti.

232. *Et ex solo, quod quis fugiat e carcere,*

non est incorrigibilis. — Putarunt aliqui, ut Portel. loc. cit. n. 4. in fine Abbas, in c. *Cum non ab homine. de Judiciis.* Sanchez, loc. cit. num. 4. et alii, religiosum ex eo solo etiam censi incorrigibilem ad hoc, ut possit ejici, quod e loco pœnitentiæ, vel carceribus fugiat. Nihilominus cum Hyacint. Donato, loc. cit. q. 41. n. 10. Pelliz. loc. cit. n. 2 et aliis hodie omnino tenentur est contrarium, ob decretum sacræ congregationis concilii Tridentini 13 novembris 1632. ad instantiam nostri reverendissimi P. Generalis editum, in quo declaratum fuit, religiosos, qui intra annum in jejuniis et pœnitentiis detinentur in carcere, non posse ejici, ex eo, quod e carceribus fugiant, sed debere etiam pro delicto puniri, ac ferrea custodia detineri in carcere, teste Pellizar. loc. cit. quod si quis tamen post præcedentem trigrammationem quarta vice fugeret, utique incorrigibilis ejici posset.

233. *Quibus superioribus competat potestas ejiciendi incorrigibiles?* — Quæritur II. A quibus superioribus possint ejici incorrigibiles? Resp. « Ab ipsomet Generali tantum de consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus religionis, eligendis in singulis capitulis, seu Congregationibus generalibus, tumque non nisi instructo secundum eorum stylum et constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis, ad sacrorum canonum præscriptum : » sunt verba formalia citati n. 227. Decreti sacræ Congregationis § 6. Et quia eod. § derogatur quoque omnibus privilegiis, et statutis, etiam a sancta Sede confirmatis; hinc his non obstantibus juxta tenorem decreti procedendum erit.

234. Notandum tandem, quod præfatum decretum de sex Patribus conjudicibus ad expellendum « in capitulo generali tantum eligendis » intelligendum sit, si sententia ferenda est in capitulo generali, vel in loco, ubi generalis regulariter morari solet : non item si in alio loco feratur sententia : tunc enim potest generalis in aliqua provincia pro libitu sex Patres deputare, ut declaravit sacra Congregatio teste Hyacint. Donato, loc. cit. q. 47. et habent etiam Peyr. tom. II. *Privileg. minor.* in Constitut. 10 Urbani VIII; Lezana, tom. I. cap. xxiii. n. 5. et alii.

235. *Provinciales etiam cum capitulo sine interventu generalis nullum professum possunt ejicere.* — Imo potest suam potestatem alteri delegare, Pelliz. loc. cit. n. 4. eo quod hæc

potestas ei conveniat jure ordinario : hæc siquidem alteri delegari potest. c. *Cum episcopus. 7. de Offic. ordinar.* in 6. et amplius diximus lib. I. tit. XXIX, § 3. Nec obstat, quod in decreto dicatur a generali tantum; quia hæc particula tantum non excludit eandem personam fictione juris repræsentatam. Pelliz. loc. cit. Tuschus litt. t. conclus. 22, n. 11. Cæterum infertur, provinciales etiam cum toto capitulo provinciali sine recurso ad generalem non posse legitime professum ejicere, sed debere causam bene instructam ad generalem dirigere, cujus dein erit, aliquos deputare, per quos ejectionis sententia feratur, nisi ipsemet in loco, ubi moratur, una cum deputatis a capitulo generali velit sententiam formare.

236. *Admonitiones, ac instructiones sacræ congregationis et sancti Bonaventuræ pro superioribus ejicientibus professos.* — Porro ut religionum superiores in causa ejectionis bene procedant, præ oculis habeant supra citatum decretum Urbani VIII, et specialiter etiam observent § 8. ibi : « Cæterum sacra Congregatio religionum superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquunt, ut lucrentur animas fratrum suorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis quo subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, et sui officii immemororum prælatorum regimine peribunt, Dominus noster JESUS Christus in supremo Dei judicio de eorumdem prælatorum manibus sit requisiturus. »

237. Pariter præ oculis habenda est doctrina a sancto Bonaventura tradita in *Quæst. super regulam fratrum minor.* q. 14. ubi ad propositum ita loquitur : « Si Frater aliter vivit, quam expedit in ordine, et sæpius correctus, se emendare non voluerit, si excessus fuerit occultus, tolerandus est cum cautela propter scandalum, ne si abjiciatur, cum ejus culpa non pateat, injuste videatur projectus, aut ejus peccatum propaleatur injuste, quorum utrumque est illicitum. At ubi excessus ejus simul fuerint graves et notorii, ita quod ejus exemplo alii infici possunt, si retineatur in ordine, et extranei etiam scandalizentur ex eo, quod hujusmodi sustinetur, in tali casu propter auferendum scandalum, et propter corruptionem ordinis præcavendam ejusmodi frater voti, et pacti

sui prævaricator ab ordine ejiciendus est. Ex eo enim ordo talis vocatur, qui nihil in se patitur inordinatum. »

238. *Nulliter professus quando et quomodo ejici possit?* — Quæritur III. An? quando? et quomodo possit religio expellere nulliter professum? Resp. Posse, non alio tamen modo, et tempore, quam quo contra religionem reclamare potest ipse nulliter professus, videlicet intra quinquennium, et cum interventu ordinarii, juxta dicta superius n. 194. Hyacint. Donatus, tom. II, tract. XII, q. 35; Bordon. *de Profess. regular.* cap. fin. et *Variar. resolut.* 23. num. 6. et alii. Ratio est, quia religio et religiosus sunt correlativa, juxta omnes : de correlativis autem idem est judicium, et dispositum de uno trahitur etiam ad alterum, juxta communem, arg. l. fin. C. *de Indicta viduit. toll.* et l. fin. ff. *de Accept.* Confirmatur conclusio ex decreto Urbani VIII. pro conclusione edito, apud Hyacint. Donatum, loc. cit. Affert etiam Pignatell. tom. I. consult. 89. n. 17. plures declarationes cardinalium, quarum una edita 16 decembris 1617. sic sonat : « Eminentissimi patres sacri concilii Tridentini interpretes ex communi omnium sententia censuerunt, decretum ejusdem sacri concilii, cap. xix, sess. 25, *de Regular.* vindicare sibi locum, non modo, cum professus nullitatem suæ professionis allegat, causasque deducit; verum etiam cum superiores ipsi ex se illum ejicere tanquam invalide professum. »

239. Colliges discrimen inter ejectionem legitime professorum ob incorrigibilitatem, et ejectionem nulliter professorum, siquidem illi quovis tempore, etiam post viginti annos, et absque interventu ordinarii ejici possunt modo supra n. 226. præscripto, isti vero non nisi intra quinquennium, et cum interventu ordinarii : cæterum sicut nulliter professis post quinquennium competit beneficium restitutionis in integrum; ita etiam sine beneficio potestas quovis tempore reclamandi casu quo nulliter professi laborant perpetuo impedimento; ita idem competit religioni contra nulliter professum. Hyacint. Donatus, loc. cit. q. 40. per jura et rationes nu. præced. allegatas.

240. *Ejecti subsunt jurisdictioni episcopi loci, et non acquirunt litteras testimoniales.* — Quæritur IV. Quid juris de actu *Ejectis.* Ante responsum nota hic esse sermonem summmodo de ejectis ob incorrigibilitatem, legitime prius professis; non item de ejectis

illis, qui ob irritam professionem ejiciuntur. Resp. I. « Ejecti, quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali (sæculari in ordinibus) incedere debent, atque ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subesse; proindeque generalis illico expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur. » Ita verba expressa decreti Urbani VIII. citati num. 227. § 7. Præterea § 9. statuit, « ut iidem superiores nemini ex religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi religionem. »

241. *Tenantur suo modo ad tria vota.* — Resp. II. Juste ejecti manent adhuc religiosi subditi, et suo modo tenantur ad tria vota substantialia. Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. ix. n. 25; Miranda, tom. I, q. 52, a. 5. dicens ita sentire omnes. Pirhing, h. t. n. 196; Pelliz. tom. I. tract. VIII. cap. viii. n. 29. cum communi, arg. c. fin. *de Regular.* ubi jubetur superioribus, ut ejectos iterum requirant sollicite, quod de novo præcipitur in sæpe citato decreto Urbani VIII. § 11. Probatur conclusio etiam ex variis declarationibus pontificum, quas vide apud Hyacint. Donatum, loc. cit. Et quidem quoad votum castitatis certum est apud omnes, quod ad illud eodem modo, quo in religione teneantur. Ad paupertatem vero in tantum, ut nihil sibi appropriare, nec ut proprium possidere, vel ut tale sibi acquirere valeant, seu nudo usu, et administratione rerum sibi ad victum, vestitum, et habitationem necessariarum contenti esse debeant. Nec omnino liberantur ab obedientia, quia licet magna ex parte cesset ejus executio, tamen in aliquibus, juxta dicenda, adhuc obedire vi voti tenantur prælatis, et universaliter parati esse debent, iterum obedire, si denuo recipiantur. Interea vero obligati sunt obedire episcopo, non quidem vi voti, cum obedientiam episcopo non voverint, sed eo modo, quo alii clerici sæculares per textum decreti n. 227. allegati. Plura de hac obligatione vide apud doctores citatos, et alios.

242. *Sicut etiam ad præcepta regulæ sub culpa obligantia.* — Resp. III. Ejecti tenantur ad præcepta, statuta, et constitutiones regulares, v. g. ad jejunia, abstinentias a carnibus, etc. Item ad Horas canonicas, et universaliter ad cuncta ea, quæ sub peccato obligant, et extra ordinem ab eis servari possunt. Miranda, loc. cit.; Roderiquez tom. I, q. 30, n. 20; Portel. in *Dub. regul.*